QVÆSTIO

DE

AGENTIVM SECVNDORVM IN CAVSANDO A PRIMO DEPENDENTIA.

Permiſsu

Magnifici & Admodum R̃ñdi D̃ñi,

D. IACOBI VITELLII

S. Th: Sententiarii, S. Floriani Canonici, Collegii Vladislauiani Prouiſor: Almæ Vniuerſitatis Cracouień: Generalis, RECTORIS.

A

M. FLORIANO LEPIECKI,

Contubernij Siſiniani Seniore, publicè ad diſputandum in Alma Acad: Cracouienſi

PROPOSITA.

Anno Domini 1645. Menſe Octob: die ... horâ ...

In Hieroglyphicon Virtutis SZEMBECIANÆ.



Gnosia cùm Vestra quondam de laude capellæ
Certabat: sub quo Iudice? Consus erat.
Gnosia; Diues ego cornu, sum pasta corymbis:
Vestra; Duplo cornu diues, alorque rosâ.
Æra meum, Gnosis, resonant Corybantia pupum.
Hæc; Quos lacte Ioues nutrio, Fama canit.
Cessisti in cunctis, huic ô Dictæa capellæ
Consus ait. Iubeo, Victa recede polo.
Vel si displiceat grauis hæc sententia menti,
Pro cœlo cælum Stemmatis huius habe.

MAGNIFICO DOMINO,

D. ALEXANDRO SZĘMBEK

S. R. M. SECRETARIO,

Prouentuum Regni

ADMINISTRATORI,

Domino & Patrono Fauentissimo.

CEnturiatam eorum libens exoluo legem, Magnifice Domine, qui vbi operoso aliquid prompserint ingenij fœcundioris apparatu, non otiosi sui otij euentum à patrocinio Mecœnatum augurantur. Noui quippe, mutam etiam chartam induere facundiam, & stylum Benefactorum animatum humanitate efficaciùs perorare. Scio & tales istam sibi sponte partem laborum iniungere, & ne contrahant dedecoris veternum, huiuscemodi sæpè opere insidiantis ingratitudinis tersisse rubiginem. Libet his subscribere, & meas Noctes Soli patrocinij Tui expone-

re, vt ista quæ Philosophico calamo adumbrata sunt theoremata, Tuo feliciùs illustrentur conspectu. Libet redditam postliminio officiorum promptitudinem experiri, & in beneuolentiæ sapientiæq; Tuæ compendio, sortem Thesium mearum concludere vniuersam. Nam dum concitatum oculorum mentis in Te liberaliùs intendo obtutum, extemplò prodigi in meam conspirantis clientelam animi, & insignis munificentiæ Tuæ, in speculo frontis viuam intueor imaginem. In quo patrocinatur mihi vultus ille, qui inter oculos spectantium amabiliùs radians, scribit in vultu omnium humanitate suâ hilaritatem. Vbi non angustam generosæ mentis indolem aspicio, quæ tantæ hospitis capax, constans fixit illi in Te domicilium. Dextrum verò in agendis consilium Tuum & Tuorum quid admirer? Hoc in Te progenitum & hæreditarium recognosco cùm nunquam in Vestro sanguine & sudore Prudentia nouercatur. Video Te grauioribus negotijs continuò agitari, sed citâ consiliorum maturitate victoriæ semper subscribere. Et si Fortunæ Tuæ ex aliquo, tum vel isto nomine succenseri potest, quòd Te, quem tantis muneribus distinauerat, nunquam indulgenter habuit. Cecidisset audax sub hac curarum mole Ambitus, si tantam periculorum aleam delibasset, quantam Tu, sustinuisti. Curis enutritus animus Tuus etiam sub onere erigitur; cui magnum

Stylus aureus.

gnum de Republ: benè merendi contigit theatrum, dum Prouentui Regni impensiùs curarũ impendis tributum & impendia. Vbi illos tot pullulantum solicitudinum nodos, quos Sparta hæc, & prouincia publica nectere didicit, Tu soluere docuisti. Ibi enim Tua dulcior fatigatio, & operosi labores suaues extiterunt, modò boni communis incrementa assurgerent. Atque hæc Tua, quam vicariam Reipubl: consecrasti, sedulitas, SERENISSIMÆ MAIESTATIS & Procerum animos ita in delicias vsque rapuit, vt intelligas, sudoribus Tuis, etiam Principes accessione fauoris sui suffragari. Coniuratus iste virtuti Tuæ Magnatum amor, tantam nostris repræsentat scenam oculis, vt fateamur, perennatum venisse ad feruorem Tuum Primatum fauorem. Et rectè. Habet enim hoc gloriæ veluti miraculum, studium Reipubl: impensum, vt in sui amore obsequentes defigat animos, & suaui quodam dulcedinis arcano, trabeatas mentes alliciat. Huius Tu tantæ possessor felicitatis, hilarem prodromo præcurrente vultu excipe lætitiam, & maturorum fructuum in fortunata & honora collectorum messe prehende prærogatiuam, vberesque de curis Tuis vsque ad voluptatem largiùs congere diuitias Gratiarum. Mea verò citato & breui verborum cursu perstricta atque fauori mancipata Tuo dogmata, eâ, sine animi frontisque dissidio, mente suscipies,

pies, quâ solam dispensare nosti humanitatem. Res non tam ingenij (quod imbecillum) quàm affectus artificio concinnata est, quae felicitatem suam à Tuo aestimans patrocinio, maius opellae huic ponit pretium, dum Te illius tutorem, immò haeredem ex asse scribit & amplectitur. Sume itaque ancillantem hunc grati obsequij liberali dexterâ censum, genium meum ad ampliora Tibi officiorum colligenda animaturus argumenta.

Magnificae Dominationis Tuae

deditissimus

M. FLORIANVS LEPIECKI.

QVÆSTIO PHYSICA, DE Agentium Secundorũ a Primo DEPENDENTIA.

VTrum Agentia Secunda, præter concursum Primi Agentis simultaneum, ad operationem in cuiuslibet sui effectus non immediatè Virtualiter tantùm, sed etiam immediatè Suppositaliter à Primo Agẽte attingibilis productione necessarium: alio concursu præuio, in se, Physicam ad indiuiduum actum prædeterminationem, iuxta suæ tamen naturæ exigentiam, ita vt cùm naturalibus concurrat necessariò, cum liberis liberè, influente indigeant: necne?

CONCLVSIO I.

Præter ipsam dependentiam causarum secunda-

rum

rum in essendo à causa suprema, causæ secundæ indigent concursu per modum actionis simultaneo causæ primæ in ordine ad omnes suos effectus.

COROLLARIA.

I. Non solùm datur prima causa efficiens, à qua effectus causarum secundarum tanquam à primo fonte originem trahunt, sed præter illam dantur quoq; causæ secundæ illi subordinatæ, à quibus iidem effectus deriuantur.

II. Agentia particularia verè agunt suos effectus, non tantùm agens vniuersale ad præsentiam illorum eos producit.

III. Mouens infinitum præter naturam & esse, etiam virtutes quasdam & facultates dedit finitis mouentibus, illasq́ in esse conseruat.

IV. Causa prima & secunda ad vnum eundemq́ effectum ita totaliter in suo tamen genere & ordine concurrit, vt nulla partialitas in concursu diuino, vel ex parte effectus, vel causæ seu actionis sit ponenda.

V. Concursus simul influens identificatur, cùm

cum actione creata, ſed non adæquatur illi.

CONCLVSIO II.

Cauſa prima non immediatione tantùm virtutis, ſed etiam ſuppoſiti, ad quemlibet cauſarum ſecundarum effectum concurrit.

COROLLARIA.

I. Ente, præſente, potente, Deus eſt in omnibus rebus.

II. Intimam cauſæ primæ rebus omnibus inexiſtentem præſentiam, concurſus etiam immediatione ſuppoſiti declarat euidentiùs.

III. Virtutis & ſuppoſiti immediatio per hoc diſcrimantur: quod ordo virtutis ſit ordo aſcenſus, ordo verò ſuppoſiti ſit ordo deſcenſus.

IV. Porrò agens increatum proximè & immediatè ad omnem actionem cauſarum ſecundarum concurrere, certum eſt, in ſana, & Catholica Philoſophia.

V. Abſurdum verò eſt, Deum, in hoc concurſu, quo cum cauſa conſorte operatur, dependere à creatura.

CONCLVSIO III.

Causæ secundæ antecedenter ad influxum & actionem, quâ producunt effectus, opus habent aliquâ præuiâ motione per modum Principij Causæ primæ, quâ applicantur ad agendum.

COROLLARIA.

I. Causa secunda non est primum principiũ per se mouens ac se determinans ad actualiter operandum.

II. Nec per suam actionem determinatur causa particularis ad operandum applicatiuè & effectiuè, sed formaliter iam constituitur in actu secundo operans.

III. Etiam concursus concomitans, per hoc, quatenus superior & dignior sit concursu causæ inferioris, non potest causam secundam determinare & præmouere ad agendum.

IV. Non sufficit, res creatas habere virtutẽ ratione propriæ formæ per modum habitus ad suos effectus producendos, nisi vltimum complementum & actualitatem eius virtutis accipiant ab

ant ab antecedenti causæ primæ motione.

V. Quamuis causæ secundæ præmoueantur à causa prima, nil tamen prohibet, easdem esse causas principales.

CONCLVSIO IV.

Auxilium præuium efficaciter mouens & prædeterminatio Physica Causæ Primæ fit iuxta exigentiam naturæ causarum secundarum, indifferentiâ potentialitatis illarum sublatâ, virtutis seu modi conseruatâ.

COROLLARIA.

I. Influxus præmouens relinquit Physicum aliquid in causa, quam mouet, & non solùm est asſistentia extrinseca, vel moralis motio, aut Sympathia.

II. Et quamuis antecedentem concursum, qualitatem non per modum virtutis in actu primo, sed per modum fluxus & transeuntis esse, tueri possemus; motionē tamen quandam esse, dantem non actiuitatem, sed actiuitatis applicationem ad effectum, asserimus.

III. Vnde effectus formalis quem præbet

præmo-

præmotio diuina eſt; reddere cauſam applicatam & determinatam ad operandum, nil immutando de modo, quo cauſa ſecunda nata eſt operari.

IV. Non eſt ambigendum, cum efficaci diuina præmotione infallibiliter voluntatem humanam determinante, ſtare libertatem eiuſdem voluntatis humanæ.

V. Actus peccaminoſus, licet in eo, quod habet poſitiuum & entitatiuum dependeat & participetur à Deo, tamen quantùm ad id, quod habet de deficientia & deformitate non eſt à Deo, vel præoperante vel cooperante.

Ad Maiorem Dei Gloriam.